



MICHAELIS DENISII

A CONSIL. AUL. AUG. ET PRIMI BIBLIOTHECAE PALAT. CUSTODIS

SUFFRAGIUM


PRO

JOHANNE DE SPIRA

PRIMO VENETIARUM TYPOGRAPHO.

Φίλος μὲν Σωκράτης, ἀλλὰ φιλτάτη ἡ Ἀλήθεια.

Plato apud Ammon. in vita Arist.




VIENNAE,

MDCCXCIV.

Typis JOAN. THOMAE Nob. de TRATTNERN,

Caes. Reg. Aul. Typogr. et Bibliopol.





Candido Lectori.

Multi conati sunt evincere, Nicolaum Jensonum, quamvis nec patriam ejus certo tenerent, nec scirent, unde, aut quando Venetias advenerit, primum Urbis illius Typographum extitisse, eo, quod Libellum, qui *Decor Puellarum* inscribitur, anno MCCCCLXI. absque loci mentione ab eo ad calcem signatum reperissent. Elaborarunt in eo Cl. Cl. Viri, Maittairius, qui tamen rem deinceps in dubio destituit, Orlandus, Haymius, Paitonus, Crevenna,

et noviſſime Scriptor *Ideae*, ſiquidem recte interpretor, *criticae Typographiae* a) meritis laudibus ob inſignem Artis peritiam, Librosque typis elegantiſſimis excuſos, qui vel hodie maxime in admiratione et pretio ſunt, Virum proſecuti. At vero, quod in illo prorſus eximium eſt, neſcio qua fortuna, mihi relictum eſſe intelligo. Agitur de longiſſima Nicolai Jenſoni vita, ad quam quidem nemini alteri Typographorum, ſi quid video, pervenire unquam contigit. Ajo nempe: Virum ultra duo ſecula aevum protraxiſſe, annisque ipſis 180. Typographicen exercuiſſe. Res monſtri ſimilis! Sed ad monumenta convertamur. Adjacet mihi Pentas Opuſculorum latinorum a Viro pio Johanne de Deo Carthuſiae Venetae Alumno conſcriptorum, quorum hi Tituli: 1) *Noſce Te.* 2) *Corona Senum.* 3) *De Humilitate interiori et patien-*

a) Annal. Typogr. *Hagae Comit.* 1719, *p.* 37. 4. Sed aliter T. I. P. 1. *Amſt.* 1733. *p.* 6. 4. Origine e Progr. della Stampa. *Bolog.* 1722. *p.* 16. 4. Biblioteca Ital. *Venez.* 1741. *p.* 137. 4. Diſſertazione: Venezia prima Città fuori della Germania &c. *Venez.* 1772. 8. Catal. Raiſonné. 1775. *Vol. II. p.* 61. 4. Quadro Critico Tipografico dell' Ab. M. B. *Venez.* 1793. 12. *maj.*

tientia vera. 4) *De immensa Charitate Dei.* 5) *In praeparatione infirmorum, et in dispositione morientium seu Flos vitae.* Expressit haec in 4to min. iisdem prorsus literis, eademque charta Venetiis Jensonus noster, et Tertium quidem, ut e calce quam curatissime repraesento, *Anno M.CCCC. pridie nonas Julias;* Quartum vero *Anno M.CCCCC.LXXX. nonas Julias.* Haeres paullisper, Lector! tecumque reputas: Quid magni Annus MCCCCLXI. si ipsum secularem MCCCC. Venetae Typographiae natalem habemus. At mox cum supercilio: Quid nugaris? Errores hi Typothetarum sunt, cujusmodi longam seriem quivis facile tibi texet Bibliographus. Cedo reliqua tria Opuscula! Viden' Anno MCCCCLXXX. singula rite signata? Video enimvero, et quamquam Maittairius olim asseruerit, in Typographo tam diligente vix admitti posse vitium in numeris, b) statueritque Crevenniani Catalogi Conditor, Jensonum nunquam errasse, c) fateri tamen cogor contrarium, eoque magis, quod ad calcem Secundi

b) Edit. 1719. *p.* 64. *nota f.*

c) *Vol. II. p.* 77.

cundi et Quarti memoratorum Opufculorum etiam in proprio nomine (*Jefon* pro *Jenfon* ponendo) alucinatus eft, ut nihil de omiffa in ejus *Quintiliano* Anni MCCCCLXXI. *Lib. V. c.* 6. integra linea, aliisque minoribus mendis dicam.

Habemus igitur, ut jam ferium fermonem ingrediamur, erroribus obnoxium Jenfonum, et hominem, in cujus neque nomen, neque chronologiam facile jures. Nequaquam tamen ex his illico concludat aliquis, etiam in confignando anno *Decoris Puellarum* MCCCCLXI. lapfum fuiffe. Sufficiat ex hucusque dictis liquere, Typographum illum in erroribus deprehenfum fidem fuam aliquantum apud pofteros labefeciffe, quod nemo partium ftudio vacuus negaverit. Partes ipfae audiendae funt, quaeque viciffim proferunt, rationum momenta expendenda. Jenfoni Patronos praecipuos mox fub ingreffum defignavi. Ex adverfo Bozius, Pafchalius, Schelhornius, Deburius, Mercerius, Mittarellius, Morellius, d) non minus nota Literatoribus nomina

d) Hift. de l'Acad R. des Infcr. *Paris, T. XIV. p.* 233. 1743. 4. Bibliotheca Smith. *Venet.* 1755. *p.* 116. 4. In Notis ad Card. Quirin. de opt. Scriptor.

mina consistunt. Certatum est hactenus ea, quae Viros eruditos decet, urbanitate; immo dictae potius sunt sententiae. Quoniam vero eas nuper admodum collegisse, et in favorem Jensoni transegisse sibi visus est ingeniosus, et Historiae typographicae studiosissimus Autor *Ideae Criticae*, atque non uno loco gratum sibi fore significat, e) si, quid alii veritatis sectatores de impensa opera sua sentiant, candide promant, haud graviter accipiet, quod Italus pro Gallo egit, hominem Germanum pro populari suo tentare.

Pro Johanne itaque de Spira primo Venetiarum Typographo suffragium feram, et quidem ex ipsius amplissimae Reipublicae autoritate, quam non minus, ac Cl. *Ideae* Scriptor, veneror. Monumentum decretorium repraesen-

to

Editionib. *Lindaug.* 1761. *p.* 98. 4. Bibliographie instruct. *Vol.* Jurispr. Sci. et Arts. *Paris.* 1764. *p.* 205. 8. Supplem. à l'Hist. de l'Imprim. de Prosp. Marchand. *Paris.* 1775. *p.* 37. 4. Bibliotheca Codd. Mss. S. Mich. prope Murian. *Venet.* 1779. *p.* 178. *f.* Libreria Pinelli. *Venez.* 1787. *T. IV. p.* 43. 8.

e) Pagg. XLIII. LXVIII.

to a Viro Doctifs. atque amiciffimo Jacobo Morellio Bibliothecae D. Marci Praefecto nuper typis expreffum, mecumque communicatum, cui Titulum fecit: *Privilegio conceffo dalla Sereniffima Signoria di Venezia a Giovanni da Spira, regiftrato contemporaneamente nel Notatorio XIX. a carte 55. t. nella Cancellaria Superiore, ed ora per la prima volta pubblicato.* Ejus vero hic tenor:

1469. Die 18 Septembris.

„Inducta eft in hanc noftram inclytam ci„vitatem ars imprimendi libros, in diesque ma„gis celebrior & frequentior fiet, per operam „ftudium & ingenium Magiftri Joannis de Spi„ra, qui ceteris aliis urbibus hanc noftram præ„elegit, ubi cum coniuge liberis & familia to„ta fua inhabitaret, exerceretque dictam artem „librorum imprimendorum: iamque fumma om„nium commendatione impreffit Epiftolas Cice„ronis, & nobile opus Plinii de Naturali Hi„ftoria in maximo numero, & pulcherrima lit„terarum forma, pergitque quotidie alia præ„clara volumina imprimere; adeo ut induftria

„&

„& virtute huius hominis, multis præclarisque „voluminibus, & quidem pervili pretio, locu„pletabitur. Et quoniam tale inventum ætatis „nostræ peculiare & proprium, priscis illis om„nino incognitum, omni favore & ope augen„dum atque fovendum est, eidemque Magistro „Joanni, qui magno urgetur sumptu familiæ, „& artificum mercede, præstanda sit materia, „ut alacrius perseveret, artemque suam impri„mendi potius celebriorem reddere, quam de„sinere, habeat; quemadmodum in aliis exer„citiis sustentandis, & multo quidem inferio„ribus, fieri solitum est; infrascripti Domini „Consiliarii ad humilem & devotam supplica„tionem prædicti Magistri Joannis terminarunt, „terminandoque decreverunt, ut per annos „quinque proxime futuros nemo omnino sit, „qui velit, possit, valeat, audeatve exercere „dictam artem imprimendorum librorum in hac „inclyta civitate Venetiarum, & districtu suo, „nisi ipse Magister Joannes. Et toties, quoties „aliquis inventus fuerit, qui contra hanc ter„minationem & decretum ausus fuerit exercere „ipsam artem & imprimere libros; multari con„demnarique debeat, & amittere instrumenta „& libros impressos. Et sub hac eadem pœna

„nemo

„nemo debeat, aut poſſit tales libros in aliis „terris & locis impreſſos vendendi cauſa huc „portare.“

ℂ Angelus Gradenico. ℂ Bertuccius Contareno. ℂ Angelus Venerio. ℂ Jacobus Mauroceno. ℂ Franciſcus Dandulo.	Conſiliarii.

Addidit laudatus Morellius: *Poco dopo la conceſſione del Privilegio, ſeguita improviſamente la morte di Giovanni da Spira, dalla mano medeſima, che nell' indicato Notatorio lo aveva ſcritto, al margine di eſſo fu aggiunto:* Nullius eſt vigoris, quia obiit Magiſter & Auctor.“

Habet igitur hic Lector, qui partium ſtudio liber quaeſita interpretationis artificia aſpernatur, neque nodum in ſcirpo quaerit: *Inductam eſſe Venetias Artem imprimendi Libros per operam, ſtudium et ingenium Magiſtri Joannis de Spira,* et non alterius; *Eum jam ſumma omnium commendatione,* nullis igitur *Copiſtis,* ſive

ſive Scriptoribus librariis reclamantibus, f) *impreſſiſſe Epiſtolas Ciceronis et Opus Plinii de Naturali Hiſtoria*, vel ante obtentum Privilegium; *tale inventum omni favore et ope augendum atque fovendum eſſe*, atque adeo non invitis, non aegre annuentibus Patribus admiſſum; *per annos quinque proxime futuros neminem audere exercere dictam Artem in civitate Venetiarum et diſtrictu ſuo niſi ipſum Magiſtrum Joannem*, igitur nec Jenſonum, nec alios. Quid clarius! Nae is de ſagaciſſimi Senatus prudentia, legumque ferundarum peritia detrahere videretur, qui, neſcio quibus, interpolationibus, et ſenſibus afflictis limpidam hanc turbidam facere vellet. Alia ſane *Privilegium* iſtud denuntiat, quam quidem e verbis Cl. Autoris *Ideae* diſcas, qui obiter illud attingens ait: *Nel quale ſi parla come di Arte già reſa celebre e divulgata*, g) ejusque loco recitare mavult verba Marini Sanuti ad an. 1469. *Di Settembre fu preſo, che atteſo che l'Arte dello ſtampare è venuta alla luce, ſia conceduto a Gio-*

f) Ideae *pag.* LXII.

g) *Pag.* XLVII.

Giovanni di Spira lo ſtampare l'Epiſtole di Tullio e di Plinio (inſcite de Plinio) *per cinque anni, e che altri nolle ſtampino,* h) quae, quamvis Jenſono nihil patrocinentur, ſi tamen cum ipſo *Privilegio* contendantur, evincunt, Sanutum illud aut non inſpexiſſe, aut non ſincere referre.

Quare vel ſolo hoc Documento e publico Tabulario, e quo hactenus nihil pro Jenſono prolatum eſt, depromto Johannis de Spira, ut ita dicam, Primatus extra dubium poſitus videri poteſt. Verum cum ab hujus Seculi exordio, atque adeo a Maittairii temporibus (non enim, ut Cl. Autori *Ideae* viſum, i) continuo trium ſeculorum curſu Libellus ille, *Decor Puellarum*, tamquam Primitiae Italicae Typographiae celebratus fuit) magno acumine et eruditionis apparatu cauſſa iſthaec acta ſit, atque, ut jam monui, omnia in utramque partem dicta colligenda, novisque pro Jenſono argumentis cumulanda nuper ſibi ſumſerit ſaepe memoratus

ratus

h) Vite de' Duchi di Venez. apud Murator. T. XXII, Script. Rer. Ital. *col.* 1189.

) *Pag.* XLII.

ratus Autor *Ideae Criticae*, haud molefte feret, ut iterum dicam, Vir humaniffimus, fi brevitatis ftudio, prioribus omiffis, ad pereruditam Ejus Differtationem potiffimum commenter.

Johannem de Spira Venetias praevertiffe dicitur Nicolaus Jenfonus. Nam, dum ille non nifi a. MCCCCLXVIIII. Libros, quorum *Privilegium* fupra recitatum meminit, Adriaca in Urbe procuderet, extat pius Libellus ad Adolefcentulas italico fermone fcriptus, titulo *Decor Puellarum*, ad cujus calcem, absque loci mentione, legitur: *Anno a Chrifti Incarnatione M.CCCC.LXI. per Magiftrum Nicolaum Jenfon feliciter impreffum eft.* Jam primum Nicolaus hic qui genus, unde domo? Sunt, qui Germanum, funt, qui Gallum appellavere. Cl. Bozius geminum de antiquiore Moneta gallica Tractatum manu fcriptum excitat. k) In priore ad numos Ludovici XI. notatur manu coaeva Jenfonus ab hoc Rege Moguntiam miffus, ut artem libros imprimendi ibidem recens inventam quoquo modo condifceret. At Ludovicus reg-

k) Hift. de l'Acad. des Infcr. *T. XIV. p.* 236. 4.

regnum non nisi exeunte Julio a. 1461. capessivit. Dicemus igitur Jensonum quinque mensium spatio Moguntiam petiisse, artem perdidicisse, characteres rotundos elegantissimos, quales in Gutenbergii, Faustique officina videre non potuit, neque apud Monetários francicos, ut Numi ejus aetatis palam faciunt, parasse, Venetiasque delatum *Decorem Puellarum* novo miraculo procudisse? In altero Mspto, quod Cel. Marietti fuit, Nota illa quidem ad Caroli VII. tempora, annumque 1458. remota est; sed addit Bozius: *Quoique l'écriture et le style de cette seconde Note soient bien moins anciens, et ayent un air beaucoup moins original, que le style et l'écriture de la Note precedente* &c. quae verba sane non reddunt id, quod Autor *Ideae* interpretatus est: *Scritta d'antica mano.* 1) In Nota Boziana Jensonus vocatur *Garçon saige, un des bons graveurs de la Monnoye de Paris;* in Mariettana vero *Maître de la Monnoyè de Tours.* Atque optandum foret, ut, ne caussae suae diffidere videretur Autor noster, exactius utramque Notam retulisset, neque recentiorem antepostuisset vetustiori, neque suppres-

1) *Pag.* XLVIII.

preſſiſſet illud: *un des bons graveurs de la Monnoye de Paris*, neque ad Bozianam transtuliſſet, quod habet Mariettana: Jenſonum Moguntia non rediviſſe in Franciam, ſed alio divertiſſe.

Vides, Lector, quae ad Jenſoni initia pertinent, fluctuare apud Scriptores, atque in incerto verſari omnia, patriam, conditionem, tempus itineris Moguntini et Veneti. Aſt alii Scriptores poſteriora ſaltem ponunt extra dubium. Quinam hi? Marinus Sanutus Autor Vitarum Ducum Venetorum. Ille nempe, qui facile ea, quae de Arte noſtra tradit, e M. Antonio Sabellico mox producendo carpere potuit, quemque jam ſupra errorum coarguit *Privilegium* Johannis de Spira. Sed audiamus iterum errantem ad an. 1459. *In queſt' anno l'Arte della Stampa fu trovata* (Pſalterium igitur Moguntinum anni MCCCCLVII. ante inventam imprimendi Artem impreſſum fuit) *da un Tedeſco nominato Giovanni Cutembergo d'Argentina. Altri vogliono, che foſſe trovata da —— Fuſto, e altri da Nicolò Jenſon.* m) Quid hinc certi

m) Scriptt. Rer. Ital. *T. XXII. col.* 1167.

certi pro Jensono? Verum certius quid ad tempora Pasch. Maripetri Ducis a. 1462. 5. Maji extincti. n) *In tempo di questo Doge Venezia stette in pace e in quiete. E in questa Terra, poi per tutta l'Italia fu principiata l'Arte dello stampar libri.* Interpellare hic cogor Sanutum, ut lapsum Typothetae, quo usus est Cl. Autor *Ideae*, o) accusem. Interpunxit ille temere post verba *in questa Terra*, et post voculam *poi* conjunctionem copulativam *e* omisit, unde natus est hic sensus: *Post Venetias per omnem Italiam principium datum esse Typographiae.* Non ita Muratorius, e quo locus iste describendus fuit; verum sic: *E in questa Terra poi e per tutta l'Italia fu principiata* &c. Vides ditionem Venetam a Sanuto non praeferri reliquae Italiae, sed eo teste *et in hanc*, *et in omnem Italiam* Typographiam inductam, et quidem postea (*poi*) id est a morte Maripetri. Sed jam reliqua ejus de Arte nostra audiamus. *La quale ebbe principio da alcuni Tedeschi, tra quali uno chiamato Niccolò Jenson Tedesco fu il primo* che

n) *Col.* 1168.

o) *Pag.* XLVI.

che in Venezia facesse stampare libri. Ita sane, si quid Decreto publico testanti, ut legimus, *Artem imprimendi libros* Venetias *inductam esse per operam, studium et ingenium Magistri Joannis de Spira,* derogare posset assertio privati Scriptoris, non semel in errore deprehensi, et usque adeo rerum Herois sui ignari, ut, quem e tot Editionum clausulis Gallicum discere potuisset, Germanum faciat. Quae vero Maripetri temporibus hic affigere videtur, ad Christoph. Maurum Ducem referenda esse docet accuratior Rerum Venetar. Scriptor Paulus Maurocenus, cujus Opus Eruditiss. Apost. Zenus appellat *Volume molto stimato* p) quique ipse in Prooemio testatur, multum se laborasse *nel rivogliere gli Scrittori esterni, e nel leggere molte Croniche riservate nelle case de' privati e negl' archivj più riposti e segreti della Repubblica.* Hic igitur ad an. 1468. notat: *L'anno sequente 1469. fu introdotto in Venezia l'uso dello stampare, che con gran commodo dei Letterati ne tempi seguenti restò aggrandito et ampliato.* q)

Sanuto

p) Istorici delle Cose Venez. *T. I. Praef. p.* XXIII.

q) Hist. della Città e Repp. di Venezia. *Ven.* 1637. *p.* 560. 4.

Sanuto fuccenturiat Autor *Ideae* M. Ant. Coccium Sabellicum, Loca tamen ejus *Hiſt. Venet. Dec. III. L. VIII.* et *Ennead. X. L. VI.* relatu nimium prolixa cauſſatus. Audiamus primum de naevis hujus Scriptoris laudatum Zenum. r) *Sit primo loco neglecta Veritas, dum quaedam ſecus refert, atque Andreas Dandulus, aliique rerum Venetarum ſcriptores qua veteres, qua recentes. Accedit, confundi ab ipſo temporum ſeriem adeo, ut ne ſibi quidem, nedum aliis conſtet. — Ipſe fatetur, quandoque ineptiſſimos Annales adhibuiſſe ſtilo prorſus plebejo deſcriptos, neque ſatis antiquos, aut diligentes.* Quid jam ait hic Sabellicus priore loco? s) Maripetri Ducis tempore *librorum imprimendorum rationem primum in Italia repertam; Commentum ipſum Germani hominis credi.* Quid aliud expectes ab homine totius negotii parum gnaro? *Tota Italia procedente tempore officinas conſtitutas, aperta aemulatione inter opifices diligentia et ingenio certatum, Nicolaum Jenſon, quem Veneta civitas ſortita eſt, omnes* alios

r) *Pag.* XLI. Vitae praemiſſae T. I. Collectionis mox *citatae.*

s) Collectio *cit. T. I. P.* 2. *p.* 715.

alios post se procul reliquisse. Quid hinc opis Jensoni Patronis? Quid si *Germanus* ille Sabellici *homo* Johannes de Spira esset? Sed nihil hariolor. *Procedente tempore officinas constitutas, inter opifices certatum, Nicolaum Jenson omnes alios post se reliquisse,* in confesso est. Num tamen illum ideo Spirensi antepones, qui ante certamen e vita decessit? Num verba illa: *quem Veneta civitas sortita est,* idem tibi significant, ac: *qui primus libros Venetiis impressit,* praesertim, cum praemittat Sabellicus *procedente tempore?* An non et Aldos haec Civitas est *sortita?* Examinemus jam alterum Locum nihilo magis Jensono propitium; nihil enim in eo de Venetiis. t) *Sunt, qui inter initia Pientini Pontificatus* (1458) *Typographiam Italiae invectam dicant, quod non multum sit diversum ab eo, quod alii prodidere, ut in eum ipsum annum Callisti exitus inciderit, et Pii pontificis creatio. Sed utcumque res signanda est, claruerunt plerique ejusmodi opificio, sed omnium maxime — Nicolaus Jenson et Johannes Coloniensis, ambo Theutonici.* Vides, primum non admodum laborare Sabellicum de ve-

t) Edit. Basil. 1560. p. 958. f.

ra Epoche introductae in Italiam Artis; deinde, si in sequentibus de primo Venetorum Typographo res esset, Johannem de Colonia, qui demum a. 1471. officinam aperuit, Jensono aequandum fore. Quare apage haec testimonia, quae solem lucerna demonstrant! Novimus Jensonum a Viris doctis laudatum, a summis Pontificibus honoratum, praestantissimum Venetorum Typographum. Primum negamus, quem nemo veterum Scriptorum probat, nisi fortassis Omnibonum Leonicenum oggeras, qui, cum ab Jensono ad calcem *Quintiliani* a. MCCCCLXXI. *Eruditissimi* vocabulo mactaretur, ut ingrati animi notam vitaret, in Praefatione Jensonum *Librariae artis mirabilem inventorem* compellavit, *qui non, ut scribantur calamo libri, sed velut gemma imprimantur ac prope sigillo, primus omnium ingeniose monstravit.* Sensit ridiculas has ampullas *Catalogi Crevenniani* Autor, u) nodumque allato facillimo temperamento sibi solvere visus est. Itaque tam ad *mirabilem inventorem*, quam ad *primum omnium* interferuit: *in Italia.* Sed enim Leonicenum jam seculo suo Autor *Chronici Coloniensis* lingua germanica

a.

u) *Vol. II. p.* 74.

a. MCCCCXCIX. impreſſi w) de mendacio convenit: *Dat is offenbairlich gelogen. Want Sy ſyn noch jm leuen, die dat getzuigen, dat men boicher druckte tzo Venedige, ee der vurſs* (vorgeſagte) *Nicolaus Genſon dar quame, dair he began ſchrifft zo ſnyden vnd bereyden.* Quaſi dicas: Superſtites etiamnum eſſe, qui teſtarentur, Libros Venetiis impreſſos fuiſſe, antequam Jenſonus eo delatus typos pararet.

Et quinam hi Libri? *Epiſtolae Ciceronis*, et *Plinius de naturali Hiſtoria.* Docet hoc Johannis de Spira *Privilegium* a me recitatum in principio, docent Verſus ab eo primae Ciceronis Editioni ſubjecti:

Primus in Adriaca formis impreſſit ahenis
Vrbe libros Spira genitus de ſtirpe Joannes.
In reliquis ſit quanta vides ſpes, lector, habenda,
Quom labor hic primus calami ſuperaverit artem.

M. CCCC. LXVIIII.

En

w) *Coloniae fol.* 312. *f.*

En *primum primi* Typographi *in Adriaca Vrbe laborem*, *ſpem*que *in reliquis* ejus *laboribus habe!* En ſenſum nativum, obvium hujus Epigrammatis, ni praejudicio caligant oculi! Intellexerunt ejus vim Jenſoni Fautores, et praecipue Autor *Ideae* nihil non agit, ut eam elidat. x) Senſum hunc indefinitum, et generalem eſſe cauſſatur. Perinde ac alium animo intendiſſet, aut intendere voluiſſet Spirenſis. Immo. Eſſe ſenſum aliquem mitiorem, magisque reſtrictum. Et quem illum? Intelligendum eſſe: Johannem primum Venetiis impreſſiſſe *hos* Libros. Quam violenter, quam absque ullo ſolido fundamento! Igitur, ubi Cicero ait de Aeſculapio: *qui primus vulnus dicitur obligaviſſe;* y) intelligam deinceps *hoc* vulnus? Ubi Virgilius de Pane: *primus calamos cera conjungere plures inſtituit;* z) intelligam *hos* calamos? Ubi A. Gellius de Livio Andronico: *primus omnium fabulas Romae docere coepit;* a) intelligam *has* fabulas? Atque ſic rite exponi ait ad regulas Cri-

x) *Pag.* LVI.
y) De Nat. Deor. III. 22.
z) Ecl. 2.
a) *L. XVII. c.* 21.

Critices, b) quae si Critice sit, ingenue fateor, me nihil videre, nisi tortis ejusmodi interpretationibus etiam ex ipsis sacris Literis confici posse, quae velis. Utitur alia ad labefactandum Epigrammatis sensum praeterea machina, verum nihilo felicius. c) Epigramma opponit *Corn. Tacito* subjectum, quem an Johannes etiamdum vivens, an ab ejus subita morte Wendelinus frater vulgaverit, hic quidem in medio relinquam. En illud:

Cęsareos mores scribit Cornelius. esto
Iste tibi Codex: historię pater est.
Insigni quem laude feret gens postera: pressit
Spira premens: artis gloria prima suę.

Viden', ait, ultimis hujus Epigrammatis verbis dubium fieri, an *Ciceronis Epistolae*, an vero *Tacitus* labor *primus* Spirensis fuerit? Addit, hunc nodum hactenus a nemine solvi potuisse. Solvam fortassis ego, et quidem e poeticae locutionis indole, latinaeque constructionis regulis. Impressit a. MCCCCLXXIII. Parmae

b) *Pag.* LVII.
c) *Pag. ead.*

mae *Petrarchae Triumphos* Andreas Portilia. Epigramma ſubjunctum ita finit:

Hæc nam dedalicus poſuit portilia parmæ
Andreas: patriæ gloria magna ſuæ.

Quid · cenſes ? Lector ! An Editio Petrarchae eſt *patriæ gloria magna ſuæ*, an vero Impreſſor Portilia ? Portiliam innuis, illudque, *patriæ gloria magna ſuæ*, Appoſitum poeticum vocas, ut Virgilianum illud, quod tenes a ſcholis: *gemini, duo fulmina belli, Scipiadae*, d) omiſſo nempe relativo pro, *qui eſt* patriae gloria magna ſuae; neque enim, ſi de Editione ſermo eſſet, latinum foret: *Haec poſuit Portilia gloria magna*, ſed *gloriam magnam* dici oporteret. Age nunc, et Parma transgreſſus Venetias Spirenſem pariter expedi. Nam ſive totum poſterius Diſtichon ad illum traxeris, quod potes, ſive extrema: *Preſſit Spira premens: artis gloria prima ſuae*, non *Taciti* Editionem, ſed *Taciti* Editorem *artis ſuae primam*, Venetiis nempe, *gloriam* pronuntiabis, aut *primam*, quod haud in-

d) Aeneid. *L.* VI.

infrequens Latinis, *primariam*, *excellentem*, *ſingularem* interpretaberis.

Verum miſſa faciamus iſthaec Grammatica, quibus nec ipſe Scriptor *Ideae* vim ineſſe volet, niſi in aliorum argumentorum conſortio. Ait igitur: niſi Verſus illos miti ſuo, et reſtricto ſenſu exponamus, credulitatis et mendacii argui Scriptores graviſſimos multos, et antiquos. e) At hi neque multi ſunt, ut vidimus, neque in hac parte graviſſimi; non enim illorum aevo Typographiae, quam obiter tantum attingebant, Hiſtoria ita exculta fuerat, uti eam hodie habemus; quidam vero illorum Jenſonum non primum, ſed peritiſſimum modo artis ſuae praedicant, quibus pollicem lubentiſſime premo. Ait: hac ratione confuſionem naſci, trahique in incertum Origines typographicas ſuperioris Italiae. Aſt a quibus? Ab illisne, qui proprio, clariſſimoque ſenſui verborum inhaerent, an vero ab illis, qui verba quaeſita interpretatione detorquent, compoſitam paene controverſiam rurſum movendi ſtudio? Ait: hanc interpretationem neceſſariam eſſe propter argumentum, quod vocat,

e) *Pag.* LVI.

vocat, *Facti.* f) Quodnam illud? Annus nempe MCCCCLXI. *Decori Puellarum* evidenter appositus. Verum iste non argumentum est, sed affirmatio, quam discutimus, cui contradicimus. Ait: Spirensem se ipsum jactare, neque repeti aut ab illo, aut a Wendelino fratre hanc in posterioribus, licet inflatis, Editionum Subscriptionibus jactantiam. g) Primum non liceret Spirensi, quod licuit Jensono, qui se *praestantissimum Librorum Exculptorem*, *Virum summum*, *Officinam* suam *inclitam et famosam* appellavit? h) An *Vir summus* non etiam *primum* se appellasset, si quidem potuisset? Quis crimini vertit Horatio et Ovidio succinentibus:

Exegi monumentum aere perennius.
Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira &c. i)

Liceat in re simili verbis uti magni Leibnitii: *An putas alios omnes* (Jensonum) *silere potuisse ad Fausti et Schöfferi* (Spirensium) *jactatio-*

f) *Pag.* XLIII.

g) *Pag.* LVII.

h) Ad calcem *Luctus Christianor.* et V. Opusculor. lat. hic saepius citator.

i) Od. *L. III.* 30. Metam. *L. XV.*

ctationes — si tanto ante hos (1461) Typographia increbuisset? k) Cur vero Spirenses in posterioribus clausulis Johannis Primatum lectoribus iterato inculcassent, non video. Video magis, ita agere homines rei suae certos, candidos, neque suspicantes, fore olim, qui illos de possessione sua deturbatum irent. Ait denique: si illud, *Primus in Adriaca* &c. non accipiatur restricto ad *Ciceronis Epistolas* et *Plinium* significatu, condemnandum fore Jensonum, tamquam aut fraudulentum, aut malitiosum impostorem. l) Conglobari certo multa possunt, ut affluens est lingua Italica, ad faciendam speciem, quae tamen singillatim expensa parum habere roboris deprehenduntur. Ego Jensonum neque fraudis, neque malitiae arguendum censeo, sed, homo cum esset, humanum quid passus est. Erravit in consignando anno MCCCC. et MCCCCCLXXX. ut supra vidimus, dum in arte sua jam multo esset perfectior, quidni errasset in anno MCCCCLXI. nuper admodum tirocinium egressus. Supervacaneum esset Catalogum hic Typographorum attexere, qui ad calcem

k) *T. VI.* Opp. Genevae 1768. *p.* 209.

l) *Pag.* XLII.

cem quarundam Editionum in fignando tempore peccavere. Norunt eas Bibliographi. Sed horum errores, reponit Cl. Autor *Ideae*, m) factis hiftoricis, et authenticis documentis convelluntur. Non igitur licet documentis authenticis accenfere *Privilegium* Johanni Spirae conceffum? Verum cur is, cur alii Jenfoni aemuli non reclamarunt? Quis, quod fciamus, reclamavit exempli cauffa Conrado Hiftio Spirae a. MCCCCXLVI. *Confcientiae Speculum*, quis Erhardo Ratdolt Venetiis MCCCCLXVIII. *Franc. Maturantii Opufculum de componend. Verfib. Hexam. et Pentam.* fignanti? Riferint potius faciles Typographi, et *fcapham fcapham*, errorem errorem habentes apud animum fuum reputaverint Terentianum illud: *Homo fum; humani nihil a me alienum puto.* n) Quod vero nominatim nec Spirenfis Jenfono, nec Jenfonus Spirenfis Epigrammati: *Primus in Adriaca* &c. reclamavit, argumento eft, *Decorem Puellarum* a. MCCCCLXI. lucem nondum afpexiffe.

Au-

m) *Pag.* XLIV.

n) Heaut. *Act. I. Sc.* 1.

Auſpicetur ergo Faſtos ſuos Typographia Veneta ſolidiore cum gloria ab *Epiſtolis* ſummi Oratoris, quibus Senatus ipſe ſapientiſſimus fert teſtimonium, quam quidem a rudi piae ſimplicitatis Opuſculo, unico in propria cauſſa teſte, et quod nemo ejusdem aetatis *primum primi* Artificis *laborem* appellavit. Neque facile quis Johannem de Spira, quod ſe *primum* Urbis Adriacae Impreſſorem dixit, vel dici paſſus eſt, mendacis accuſet jactantiae, niſi velit eandem labem, ut alios taceam, Gerardo de Liſa Tarviſino, Baltaſſari Azzoguido Bononienſi, Philippo Lavaniae Mediolanenſi Typographis aſpergere, qui omnes *primos* ſe ſuarum Civitatum in publico affirmaverunt. Et ille quidem ad *Auguſtini Manuale* MCCCCLXXI.

Hic Tarviſina nam primus coepit in urbe
Artifici raros aere notare libros.

Alter ad *Ovidium* MCCCCLXXI. *Primus in ſua Civitate artis impreſſoriae inventor.* Tertius ad *Avicennam* MCCCCLXXIII. *Artis ſtampandi in hac urbe primus lator atque inventor.* Quo vero, rebus ita conſtitutis, *Decorem Puellarum* referemus? Id nempe nunc agimus.

Extant

Extant Opuſcula V. a primo, quantum hactenus ſcire datum eſt, Vindobonenſium Typographo, qui nomen ſuum nos celavit, anno MCCCCLXXXII. procuſa, videlicet 1) *Tractatus Diſtinctionum Joh. Meyger.* foll. 11. 2) *Guidonis de Monte Rocherii Manipulus Curatorum.* foll. 86. 3) *Aegidii Columnae Errores Philoſophorum.* foll. 5. 4) Hiſtoria *S. Rochi* lingua germ. foll. 8. 5) *Joh. Gerſonis Doctrina de Confeſſione et Abſolutione.* foll. 14. Recenſui illa partim in *Hiſtoria* vernac. *Typographiae Vindob.* o) partim in ejus *Spicilegio* p) retuli vero etiam in *Supplemento Annal. Maittair.* q) Formam habent 4tam, chartam eandem, characteres eosdem, in ſumma ita comparata ſunt, ut non ovum ovo ſimilius, videanturque, velut opus continuum, uno calore de prelo detracta. Solus tamen *Aegidius* ad calcem pro anno MCCCCLXXXII. annum MCCCCLXXII. exhibet. Haerebam enimvero, dum primus in eum inciderem, jamque tacitus mihi gratulabar facultatem officinae Vindobonenſis ipſo decennio

nio

o) Vien. 1782. p. 1. 4.

p) Ibid. 1793. p. 27. 4.

q) Ibid. 1789. p. 143. 4.

nio propius ad Artis cunabula admovendae. Verum re maturius perpensa in illud prorupi: *Amica quidem Vindobona; sed amicissima Veritas!* Quid enim, ajebam, Typographus iste, quisquis demum fuit, novennio ipso manum abstinuit ab opere, toto temporis intervallo nulla quamvis solertissima pervestigatio aliquem ejus officinae partum detegere potis fuit, et en decimo anno ad illam reversus eandem chartam, eosdem typos, eandem prorsus editionis formam in promtu habet, et repraesentat? An novennio interposito alicubi gentium peregre abfuit? An pervicacem *Copistarum*, sive Scribarum librariorum Vindobonensium repugnantiam, velut alteram Trojam, decimo demum anno expugnavit? At ejusmodi conjecturarum ne vestigium quidem in monumentis nostris reperi. Quocirca in mendo cubare necesse est annum illum *Aegidii* MCCCCLXXII. atque huic affirmationi praeter humanam seu fragilitatem, seu incuriam, praeter tot aliorum Typothetarum exempla illud etiam suffragatur, quod artifex paullum imperitior ita columnam, quam vocant, ordinavit, ut, siquidem genuinum annum MCCCCLXXXII. exprimere voluisset, ultimi ejus numeri, aut ultra columnam procurrere,

aut novam ordiri debuissent. Neutrum cum illi arrideret, peremtorio usus compendio tertiam Decadis notam (X) omisit.

Quorsum haec? inquis, aut potius, quo tendam, jam intelligis. Concinnaverat Vir religiosissimus, de quo tamen nec in *Historia crit. chronol. dipl.* Ordinis sui sermone italico edita r) satis explorata traduntur, Johannes de Deo Carthus. Opuscula V. pia latina, quorum Titulos sub ingressum recensui, eaque per anni MCCCCLXXX. aestatem imprimenda Nicolao Jensono, cui intimum fuisse, nescio unde, ferunt, s) commisit non optimo omine bis in anno rite subsignando, quemadmodum pariter vidimus, prolapso. Et instituta comparatio, et Eruditorum sensus suadet, ab eodem D. Brunonis filio proficisci Opuscula pia italica itidem V. antecedenti tempore composita, mundanorumque potissimum hominum usibus destinata, cum posteriora Deo dicatos magis spectarent. Atque horum quoque Tituli recitandi sunt: 1) *Decor Puel-*

r) Nap. 1779. *T. IX. L.* 4. *p.* 112.

s) Lettre du R. P. Gabr. Fabricy. Esprit des Journ. 1781. *Juin. p.* 262.

Puellarum: Zoe Honore de le Donzelle &c. cum Mantiſſa nullo anno ſignata: *Ordine del bem viver de le Done maridade chiamato Gloria Mulierum.* 2) *Palma virtutum: Zioe triumpho de uirtude.* 3) *Parole deuote de lanima inamorata in miſſer Jeſu.* 4) *Luctus Chriſtianorum ex Paſſione Chriſti, Zoe Pianto de Chriſtiani* &c. 5) *Lætitia Chriſtianorum.* Iſthaec Opuſcula ſimiliter Officinae Jenſonianae tradidit Autor, e qua eodem guſtu, iisdem prorſus typis, eadem charta, eademque forma 4ta min. pulcherrime quidem prodivere. Formam 4tam ajo; ſignum enim Chartarii *Bilanx* ad interiorem paginae marginem ipſamque Compactoris ſuturam utrinque dimidia cernitur, atque ego ſpecimen hujus ipſiſſimae chartae in quodam Seculi XV. Codice mſ. Bibliothecae Palatinae, cui advigilo, repertum apud me ſervo. Jam vero quo anno (loci enim nulla fit mentio) ditata eſt Ars typographica illuſtri hoc monumento? Opuſculum I. annum MCCCCLXI. oſtentat. Tria ſequentia anno MCCCCLXXI. conſignata ſunt. Ultimi nullum hactenus inventum eſt exemplar, neque tamen propterea de ejus impreſſione dubitandum videtur; citatur enim Opuſculi I. *L. VII. c.* 4. ubi *una nuova Operetta* vocatur, et com-

mendatur Virginibus: *Cercate dhauere.* Vides, Lector! cur ad Pentadem Vindobonensem supra digressus sim. Eadem hic impressionis, ut a Scholasticis mutuer vocabulum, Identitas cum annis MCCCCLXI. et LXXI. quae ibi cum annis MCCCCLXXII. et LXXXII. Eadem, quae ibi annum MCCCCLXXII. repudiandum Bibliographis suadent, pugnant hic contra annum MCCCCLXI. Nihil de Jensoni per octennium medium occupatione solide doceri potest, et conjecturis nihil evincitur. t) Quod de multis Editionibus absque ullo Loci, Temporis, et Artificis indicio extantibus ad hos octo annos referendis asseritur, infirmo stat talo. Cur enim Jensonus prodito jam ad annum 1461. nomine suo rursus deinceps abstinuisset, praesertim ad Editiones gravioris et utilioris in publicum argumenti, quam quidem *Decor Puellarum*, e quibus et quaestum, et celebritatem longe majorem sperare poterat? Adde, quod e sic dictis characteribus Jensonianis non colligatur evidenter prelum Jensonianum, cum diversi Typographi eosdem ab Exculptore sibi comparare potuerint, ut simile quid Cl. *Ideae* Scriptor ipse

t) *Pag.* LXI.

ſe de Philippo Lavania non diffitetur, u) et exemplo Auguſtanorum noſtratium Güntheri Zainer et Chriſtmanni Hayny patet. w) Adde, quod Editiones illae multae ſine die et conſule, etiam ſi omnes Jenſono tribuantur, intra annum 1470. et 71. abſolvi potuerint, cum Johannes de Spira, ut ad *Auguſtinum* ab eo coeptum teſtis eſt a. MCCCCLXX. Wendelinus ejus frater,

Menſe fere trino centena volumina PlinI
Et totidem magni Ciceronis — Libellos

excripſerit. Adde demum, quod Subſcriptiones illae et Hederae poeticae calci Librorum appenſae ſaepe minus in arbitrio Magiſtri ipſius, quam amicorum et operarum ejus fuiſſe videantur; unde factum, ut pars Exemplarium unius ejusdemque Editionis clauſulis hujusmodi gaudeat, pars careat, quin et ipſae hae clauſulae dictione diſcrepent, quemadmodum in *Bibliis* lat. *Moguntinis* anni MCCCCLXII. videmus.

---

u) *Pag.* ead.

w) Supplem. Annal. Maitt. *ad an.* 1471. *p.* 8.

Quamobrem, ſi meminerimus, Jenſonum anno MCCCCLXXX. in conſignandis Libellis bis reum teneri, ſi conſideremus, fieri vix poſſe, ut interpoſito octo annorum ſpatio e quadam Officina prodeant Libelli eadem charta, eodem charactere, eadem penitus forma, ſi nihil rationis appareat, cur hi Libelli ejusdem autoris, ejusdem materiae et ſcopi tanto ab ſe intervallo diſtrahantur, concludamus, oportet, adoptandum illud: *Amica quidem Vindobona, amicae Venetiae, ſed amiciſſima Veritas!* reddendam *Decori Puellarum* alteram Decadis notam (X) quae Typothetae aut imbecillitatem, aut ſocordiam fefellit, eumque ſociis Libellis ad annum MCCCCLXXI. rurſus jungendum. Extitiſſe illos jam tum, dum *Decor Puellarum* imprimeretur, certum eſt. De *Laetitia Chriſtianorum* id ſuperius oſtendi. Sed et reliquorum uſus in ipſo *Decore Puellarum L. V. c.* 9. nominatim Lectoribus commendatur. An facilius credam, Libellum ultimo compoſitum, decennio ante priores, quos citat, ad quos remittit, impreſſum fuiſſe, quam in anni ejus numeros errorem, quod centies factum eſt, irrepſiſſe? At dices: Citationes et remiſſiones iſtae ad horum Libellorum Exempla manu ſcripta, non

vero

vero impreſſa pertinent. x) Sit ita. Verum an tu Johannem de Deo eorum, quae recens ſcripſit (nihil enim ad illum *Legendae Virginum*, *Vitae Patrum*, *Flos Virtutum*, et *Speculum Crucis*, aliena Opera, quae pariter laudat) tam immemorem fuiſſe arbitraris, ut, dum Jenſono *Decorem Puellarum* imprimendum traderet, non ſimul et reliquos quatuor exiguae molis Libellos, ad quos *Decor* provocat, commendaret? Et huic Amici intimi commendationi non niſi decimo poſt anno morem geſſiſſet Jenſonus, ludificatus interea Lectores, dum in Libello impreſſo monerentur quaerere Libellos (*Vogliate ſolicitar de hauere; Cercate dhauere*) qui impreſſi nondum exiſterent?

Controverſia omni ad hunc, quem vides, ſtatum adducta, reſtant obſervanda quaedam; candide Lector! quae ad ipſum, quo *Idea crit. Typographiae* decurrit, filum accommodare, opportuniſſimum cenſeo. *Pag.* igitur XXVI. erroris coarguitur Bozius, cui tamen uni debemus qualiacumque illa de Jenſoni initiis documenta, ob exiguam documentorum copiam, et qui-

x) *Pag.* LIX.

quidem *in tempo, in cui non si parlava, che delle regole di Critica.* Minus igitur erratum fuisse dicemus illo tempore, quo nondum vigebat Critice? Quo latebat Documentum illud authenticum *Privilegii* Spirensis? *Pag.* XXVII. asseruntur Heineckenius, Saxius, Meermannus, Lairius, Mittarellius et alii circa Typographiae in Italiam inductionem nihil re ab argumentis Bozii diversum afferre, ideoque non nisi unicum cum eo testimonium conficere. Pronuntiatum plenius fiducia, quam de Bibliographorum assensu certum. *Pag.* XLII. querelae: Annum *Decoris Puellarum* MCCCCLXI. a 40. annis solo Criticorum hodiernorum effato imposturam habendam esse. Effato certe, sed argumentis innixo. Ego vero non imposturam, sed erratum Typothetae dixi. *Pag.* XLIII. urget Cl. Autor: *La Data* 1461. *è un fatto certo.* Non alio sensu, quam quodvis mendum, quod in charta expressum oculis cernimus. *Pag.* XLIV. ratiocinatur: Nemo primorum Italiae Typographorum huic anno reclamavit. Ergo nullus potuit de ejus veritate dubitare. Quid si inferas: Ergo non extitit hic annus subscriptus, nisi anno demum 1471? Minus saltem certum est, hanc Subscriptionem extitisse vivo etiamnum

Spi-

Spirensi, quam Spirensis Epigramma: *Primus in Adriaca* &c. extitisse vivo Jensono; et an reclamavit Jensonus? *Pag.* XLV. movet conjecturam: Jensonum jam a. 1459. *Durandi Rationale* (6. Octob. prelo egressum) Moguntia Venetias attulisse. Demus illum a Carolo VII. a. 1458. Moguntiam missum fuisse, quamquam Documentum antiquius Ludovicum XI. regnum a. 1461. auspicatum assignet, ut supra e Bozio monui, quis tamen non miraretur typographicum hunc Caesarem, qui jure de se praedicare possit: *Veni, vidi, vici!* y) atque effingendo ad gothicum istud *Durandi* Exemplar nitidissimos characteres latinos in ipsis Artis primordiis ne quidem biennio opus habuerit ad id, quod Autor noster z) magnum illum Aldum Arte jam admodum provecta vix quinquennio praestitisse perhibet. *Pag.* XLVIII. M. Ant. Sabellicus Historiam suam Venetam e Documentis originalibus Archivi publici compilasse dicitur. Qua ratione fugisset illum *Privilegium* Johannis de Spira, quod vel ipso teste Nostro a) ibidem extat? Verum audiamus iterum Cl. Zenum.

y) Suet. *c.* 37.
z) *Pag.* LII.
a) *Pag.* XLVII.

num. *Scripsit, cum nulla ei publicorum monumentorum copia esset facta, atque adeo cum ne Venetiis quidem, sed Veronae tunc ageret.* b) *Pag.* LI. et alibi innuitur Jensonus docuisse per Italiam libros imprimere, et characteres fundere. Candide fateor me nescire, quis paullo antiquiorum haec tradat. Characterum formulas ad eleganter exaratos Codices, quorum copiam humanissimi Italiae Literatores Artificibus libenter faciebant, effictas fuisse, mea quidem qualiscumque fert opinio, cumque certis aetatibus, ut notum, certa sua scribendi ratio fuerit, neque unius aetatis Codices Mss. in una Venetorum ditione continerentur, sed per omnem sparsi essent Italiam, sparsi quoque Artifices ad eos accedere potuere, quin ulla *Genesi Jensoniana* c) opus haberent. Ita etiam diversitatem Diphthongorum *ae*, *æ* et *ę*, et literae extremae *ſ* et *s* a diversitate Codicum Mss. licet repetere. *Pag.* LIII. et alibi, ut enervaret Autor Joh. Schöfferi Testimonium de Arte Typographica in domo Avi materni Johannis Faust, et Patris sui Petri Schöffer usque ad annum 1462. clam habita, *om-*

b) Vitae *supra citat. p.* XLIII.

c) *Pag.* LXI.

omnibus ministris ac familiaribus eorum, ne illam quoquomodo manifestarent, jurejurando adstrictis, d) contendit, jam in Subscriptionibus *Psalterii* MCCCCLVII. et *Durandi* MCCCCLIX. tam clare novae illius Artis inventionem, et imprimendi modum edici, ut eam ad annum usque 1462. occultam servare fuerit impossibile. Ita quidem hodie inter Typographea et libros impressos versanti videri possit. At finge, Lector! te illo aevo non nisi Codicibus Mss. insuetum vixisse. Quid opis ad artem condiscendam tibi fuisset in illo Aenigmate: *Artificiosa quaedam adinventio imprimendi ac characterizandi absque ulla calami exaratione?* Nihil enim plus Subscriptiones illae produnt. *Pag.* LIX. dubitat Autor *Ideae*, num quis unquam aliquid e Jensoni prelo viderit, quod non adaequet, vel superet perfectione *Decorem Puellarum.* Non gravetur, vel *Supplementum Annal. Typogr. Maittair.* e) intra annos 1477 — 82 perlustrare. Videbit, *summum Virum* se non infrequenter ad tristes formu-

d) Ad calcem Breviarii Chronicor. Johan. Trithemii. *Moguntiae* 1515. *f.*

e) *Viennae.* 1789. 4.

mulas gothicas, et intricata vocum compendia demisisse. Ad *pag.* LXIII. noto: quemadmodum varias Artificum migrationes docet Typographiae Historia, ita varias harum migrationum potuisse esse caussas, puta: spem uberioris lucri, invitationes, aemulationes; neque facile ad insectationes *Copistarum*, seu Scriptorum librariorum recurrendum esse, nisi Documenta suppetant. Atque utinam placuisset Lairio, cujus Viri accuratio a Cl. Audiffredio parum commendatur, f) certius designare Tabularium illud Januense, e quo Documentum suum excitavit! Heineckenius certe Scribas non memorat, sed *les faiseurs de cartes a jouer*, quibus agentibus aliquam diu prohibitum fuit Augustae Vindel. Typographis, non libros imprimere, sed *de n'inserer ni vignettes, ni capitales gravées en bois dans leurs livres;* g) nec Amico meo Zapfio sermo est de *Copistis*, sed de Xylographis, qui pias icones et chartas lusorias im-

f) Catalog. hist. crit. Editt. Rom. Sec. XV. *Romae* 1783. 4.

g) Idée gen. d'une Collection compl. &c. *Leipsic.* 1771. p. 468. 8.

imprimebant, et coloribus inficiebant. h) *Pag.* LXIV. lego: *Dopo la Data del Decor Puellarum* 1461. *non si trova più un Libro con Data di Venezia sino al* 1469. In exemplo Libelli hujus, quod mihi objacet, nulla Venetiarum mentio. *Pag.* demum LXV. aegre nobis persuadebitur, Jensonum ab a. 1462. ad an. 1470. clandestino libros Venetiis impressisse. An dicemus vigilantissimos Patres in ordinatissima Civitate id ignorasse? Vix quidem. Cum enim Jensonus ab aevi sui hominibus passim Germanus appelletur, liquet, adventum ejus Moguntia mox vel in vulgus notum fuisse. Quis vero eos connivisse credet, qui legerit in *Privilegio* Johanni de Spira concesso, qua gratulatione acceperint Artem, quam vocant *Inventum aetatis nostrae peculiare et proprium, priscis illis omnino incognitum, omni favore et ope augendum, atque fovendum.*

Atque in hoc *Privilegio*, a quo exorsa est, terminetur etiam Disputatio, cujus multa irrita et indicta lubens habuero, ubi primum quis ex iis-

h) Hist. vernac. Typographiae August. *Ibid.* 1786. *P. I. pagg.* VI. XIII. 4.

iisdem Tabulariis aliquid anterius tempore in Jenſoni favorem protulerit; ſolo enim veritatis ſtudio ſuſcepta eſt. Eſſet quidem etiam, quod de primis Romae Typographis, quibus non uno loco Cl. *Ideae* Scriptor imminet, annotari poſſet; verum ego me modo intra fines Venetos tenere, cauſſamque illam Romanis Literatoribus relinquere decrevi. Erunt fortaſſe, qui ſummi Pontificis in Jenſonum favorem, et Schweynheimii, Pannartziique miſeriam ex utriusque gentis indole interpretabuntur; erunt, qui non injuria Johanni Alerienſi Correctori iſtorum Omnibonum Leonicenum Jenſoni Correctorem opponent. Ego Virum Cl. ſaepe nominatum, cujus eruditionem ſuſpicio, acumen admiror, ſtudium Rei bibliographicae deamo, humanitatem praedico, id unum orandum mihi ſumo, ut, dum Origines typographicas ſuperioris Italiae, quas nemo non Hominum literatorum avide complectetur, in medium depromturus eſt, i) ne Teſtibus in propria cauſſa, annos ad calcem Editionum adjectos intelligo, plus aequo fidat, niſi teſtibus aliis fulciantur. Quantum

enim

---

i) *Pag.* XLIII. LXVIII.

enim Erratorum typicorum a primo illo Progenitore *Spalmorum* pro *Psalmorum*, qui jam in Subscriptione *Psalterii Moguntini* a. MCCCCLVII. comparuit, increverit Familia, quot Impressores in signando Anno, Loco, proprio Nomine lapsi sint, non est, quod a me nunc primum audiant Eruditi. Producere, quae inveneris, et eorum exponere cognitioni, laudabilissimum est, neque enim, nisi id egissent Majores, eo loci, quo consistimus hodie, provecti fuissemus, et multa latent in Tabulariis, forulisque Bibliothecarum ad omnem historiam, quae

in apricum proferet Aetas; k)

at vero his uti non sat exploratis et firmis ad illa convellenda, quae communi paene consensu recepta sunt, moliendasque novas substructiones, quae ratiocinationis et conjecturae potissimum adminiculis nitantur, id nempe vitandum nobis esse omnino censeo, neque praebendas aures *dulci* illi *periculo:*

Dicam

---

k) Horat. Epist. *L. I.* 6.

Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio; l)

ne secus, quod non minus, ac Cl. *Ideae* Scriptor, m) metuo, Typographiae Historia ab annis his 60. sic satis explicata inextricabilibus rursus difficultatibus involvatur, redeatque nobis tandem, qui Origines ejus ad Saturnum denuo referat. n)

---

l) Idem Odar. *L. III.* 25.

m) *Pag.* LI. LVI.

n) Vide Prosp. Marchand Hist. de l'Impr. *A la Haye* 1740. *p.* 4. 4.



